2. A nobis ipſis, quod indicatur:

- *Generaliter à conditione & officio noſtro. Si enim in grege & cenſu Chriſtianorum commendatione pietatis ſpeciē Chriſtiani nominis tueri cupimus, neceſſe eſt, vt Catechiſmum probè teneamus, aliisq; fideliter inculcemus. Illuſtrari & confirmari hoc poteſt:*
  - *Teſtimonio Lutheri, admodum luculento & gravi, quod legitur in præfatione Catechiſmi minoris, & citat* Rothus *&c.*
  - *Similitudinibus 3:*
    1. *Ab opificibus manualibus. Illi enim neminem aſcribunt catalogo ſociorum ſuorum, niſi habeat honeſtum teſtimonium, familiæ ac vitæ, poſſitq; facere ac ponere tyrocinium aliquod. &c. Ergò hic multo magis &c.* Fiſch.
    2. *A militibus, quos oportet firmiter ſcire & tenere ſymbolum bellicum, idq; cum diſpendio ac periculo vitæ & honeſti nominis ſui. Nam ſymboli huius obliti arboribus affiguntur, vel haſtis transfodiuntur &c. Ergo. &c.*
    3. *A civibus, quos ſcire & obſervare oportet jus civitatis. Ita & hoc loco &c.* Id.
- *Specialiter reſpectu concionatorum, parentum, & præceptorum, qui ſinguli debent hac in parte officium ſuum facere, &* Catechiſmum *fideliter ſuis inculcare. &c.* Salmuth.

3. A Catechiſmo ipſo, eiuſq; vtilitate: Notetur hic:

- *Explicatio eius. Sunt autem vtilitates Catechiſmi præcipuè 6:*
  1. Exhibet *nobis medullam & ſuccum totius ſacræ ſcripturæ, vnde parva Biblia non immeritò appellatur. &c.* Hun. Roth. *Huc referri poſſunt ſimilia tria, quæ habet* Fiſch. & Roth.
  2. *Eſt analogia fidei contra hæreſin. &c.* Muſæus *in fine libelli. Item.* Roth. Fiſch.
  3. *Eſt norma honeſtæ vitæ & actionis Deo placentis. &c.* Hun.
  4. *Monſtrat nobis verum Deum, in quem credendum &c.*
  5. *Exhibet nobis formam precationis.* Id.
  6. *Præbet nobis confortationem fidei, vſu & exhibitione Sacramentorum. &c.* Id.
- *Objectio. An propter præcedentes Catechiſmi vtilitates, intermittenda ſit lectio Bibliorum, & aliæ conciones negligendæ. &c. R. quod non &c.* Hun.

Finis Prolegoménων.